

Theodor Oeseden von Henricus Offenius

Disputatio Iuridica De Donationibus

Rostochii: Ferberus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730872912>

Druck Freier  Zugang



Th. v. Oxden (H. Alphenius) ^{Neut.}
R. U. im 1620.

DISPUTATIO JURIDICA
DE

DONATIONIBUS,

Quam

D. T. O. M. A.

Consensu Magnifica, Nobilis & Amplissima facultatis Juridicae in Inclita Rosarum Academia,

SUB PRÆSIDIO

THEODORI AB OESEDEN,

Flensburgensis Holsati,

*Nobilissimis, Præstantissimis & Doctissimis Dnis suis Collegis
examinandam proponit*

HENRICUS OLPHENIUS

Huxaria-Westphalus.

Die 15. Julij.



ROSTOCHII, Per Augustinum Ferberum, Anno 1620.




REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC
CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. JOHANNI
ALBERTO,

Coadjutori Episcopatus Razeburgensis, Duci Me-
gapolitano, Principi Henetorum, Comiti Svre-
rinensium, Dynasti Rostochii & Star-
gardiaë,

Domino meo clementissimo,

*Disputationem hanc de dona-
tionum materia humilimè in-
scribo & offero,*



Henricus Olphenius.



DE DONATIONIBUS.

Cum secundum Ictum Paulum ea, quæ quotidiana & in praxi sapissimè occurrunt, diligentius & accuratius tractanda sint, l. legavi 25. ff. d. Liberat. legata, & experientia omnium rerum magistra cap. 6. quam sit d. Elect. in 6. doceat, non rarè de donationibus quæstiones in Scholis & foro incidere. Opera pretium esse duxi, de longè utilissima & usit frequentissima DONATIONUM materia disputationis loco quadam in medium asferre.

1.

D St autem donationis verbum generale, sub se complectens omnem donationem, siue ea sit mortis causa, siue non mortis causa. l. 67. ff. de V. S. Dicitur donatio à dono, quasi dono datum, rapta à Græcis qui dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι, i. e. donum & donare l. 35. ff. de mort. causa. donat. Veteri enim jure nō aliter donatio constabat, quàm traditione & stipulatione firmata, sed nova Justiniani Imperatoris constitutione perficiuntur donationes, cum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit, & ad exemplum venditionis ea constitutio eas etiam habere necessitatem traditionis voluit. Ut etiamsi non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur & traditionis necessitas incumbat donatori, §. 2. Inst. de donat. nudoq; pacto eam perfici rectè dicitur, ita ut nec confirmetur ex traditione donatio l. 35. §. 5. Cod. de Donat. Conna. 5. comm. 9. num. 1. Gyphan, ad prin. Tit. ff. de Donat.

A 2

2. Defini-

II.

Donatio
quid?

Definiri potest in genere, quod sit actus quo res aliqua vel simpliciter & absolute, vel relative in aliquem confertur, *l. 19. ff. de V. S. Boce. Cl. 2. D. 19. th. 3. Colleg. Argent. ff. d. Donat. th. 2. Obrecht. in oeconomia de Donation. simpl. p. 1. th. 9. & seqq.*

III.

Species donationis.

Licet plures sint donationum species, quæ passim in ff. & C. referuntur, utpote donatio sub conditione. Donatio inter virum & uxorem, donatio ante nuptias, seu sponsalitia largitas, donatio mortis causa facta, de quibus singulis peculiare tituli in ff. & c. habentur, quibus addi possunt dos, *de qua in l. 20. in pr. Versu. ideò enim. C. de donat. ante nupt.* Item precarium, *de quo in l. 1. §. 1. l. 14. in pr. & alibi ff. de precar.*

IV.

Præcipuè tamen dividitur donatio in propriam & impropiam, sive in simplicem & relatam. *l. 1. in pr. ff. h. t. Illa dicitur vera & absoluta. l. 35. ff. de Mort. cau. donat. Directa l. 25. in pr. C. h. t. Simplex donatio l. 20. §. si pater ff. Famil. Hercisc. l. 20. §. simplices enim. C. d. Donat. ante nupt. l. 20. §. ad hæc. C. de collat. communis. l. 34. in pr. C. de Donat. Hæc verò non propriè donatio appellatur interdum donatio, sub causa t. t. ff. & cot. d. donat. mort. causa. Alias etiam divisiones approbat & recenset Dn. Bocer. *præceptor meus honorandus in tr. d. Donat. c. 2.**

V.

Propria sive simplex donatio est actus, quo res quædam nullo jure cogente ob solam & meram liberalitatem atq; munificentiam in aliquem confertur, ab eaq; accipitur *Col. Arg. th. 3.* adeò ut res ita data ad donatorem rever-

reverti non possit *d. l. 1. in pr. ff. de donat. l. 35. §. 2. ff. d. Donat. mort. causa.* Etiam si in fraudem alterius se donasse profiteatur *l. 4. 6. C. d. Revoc. donat.* imò ne quidem rescripto principis rescinditur *l. 5. C. eod. l. 9. C. d. Donat. ant. nupt. l. 12. C. de R. V.* Sunt tamen certi modi & casus legibus definiti quibus revocari potest, *t. t. d. Revoc. donat. d. quib. infr.*

V I.

Causa efficiens donationis alia remota, alia propinqua est. Remota pro diverso donationis respectu est vel juris gentium vel civilis. Ratione materiae & originis dicitur juris gentium, constat enim apud omnes gentes donationes in usu esse & fuisse. Praesertim earum donationes, quae à traditione incipiunt. Cum naturalis aequitati nihil magis conveniens quam voluntatem Domini rem suam in alium transferre volentis ratam habere, *§. per tradit. Inst. de re divis. l. 1. in pr. ff. de pactis.* Ratione formae juris civilis. Hodie enim nudo pacto & alijs modis donatio fieri potest, absq; traditione vel stipulatione *l. 35. §. 5. C. d. Donat.* qualis donatio olim nullius erat ponderis, *argt. l. 1. ff. de Donat.* Propinqua causa donationis est consensus donantis & donatarij, quia hic principaliter donationem constituit. Requiritur autem, consensus non tantum dantis vel accipientis, sed & dantis & accipientis, *l. 18. ff. d. reb. cred. l. 55. ff. d. obl. & act.*

V II.

Donantis consensus requiritur, quia sine eo nulla donatio fieri potest. Invitus enim vel ignorans nemo donat *l. 10. C. h. t. l. 5. ff. d. transact. l. 33. ff. de cont. empt. tot. tit. plus valere quod agitur quam quod simulatè accipitur.* Accipientis sive donatarij consensus requiritur, ut subsistat liberalitas, nisi enim donatarius rem donatam ac-

ceptet, nulla erit donatio. Sicut enim ignorans & invitus non rectè donat *l. 10. C. de donat.* ita nec ignorans nec invito rectè datur. *l. invito 69. d. R. J. l. 19. §. nolenti. ff. h. t.*

VIII.

Qui pos-
sunt dona-
re vel non? Cum itaq; & donantis & accipientis consensu donatio perficiatur, videndum, quænam personæ alijs donare possunt vel non: Item quibus donari possit.

IX.

Regulariter quidem omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, ut contrahere, ita etiam donare possunt. *arg. l. 7. ff. h. t.* Nisi specialiter jure prohibeantur, *arg. l. 12. in pr. ff. d. Indic. l. 1. §. 1. ff. d. Testib.*

X.

At prohibentur alij naturâ, alij lege. Natura prohibentur. I. Infantes, quia intellectu & *προαιρέσει* destituuntur *l. 5. ff. de R. J.* & licet ex his nonnulli loqui possunt, tamen ea, quæ Aristoteles *4. Ethic. Nicom. c. 2.* in homine liberali exigit, ut scilicet dent quibus oportet, quo tempore & ubi honestum sit, ipsis non competunt.

XI.

II. Surdi & muti nati, & ita vocis & scripturæ munere privati. Hi namq; etsi intellectum aliquem habent, tamen quia organo repræsentante objectum intellectui destituuntur, donare certè nequeunt, quia operatio intellectus in ijs deficit. Qui verò ex accidenti surdi & muti facti sunt, ii si scribere didicerunt, poterunt voluntatem suam scripto declarare & liberalitatem exercere. *de hoc casu intelligenda. l. 433. §. 2. ff. h. t. arg. l. 10. C. qui test. fac. poss.*

XII.

III. Senes & deliri, à donationibus arcentur, qui juxta illud Varronis dictum, bis pueri effecti sunt, quia jam intellectu carent, nec tantum corpore, verum & animo consenuerunt, *arg. l. 16. C. b. t.* Qui verò vegeto adhuc sunt, iudicio donare non prohibentur, sola enim senectus donationi non est impedimento, sed ea demum quæ pueritiam secum adfert, *d. l. 16.*

XIII.

IV. Casu, donare prohibentur, mente capti & Furiosi, *l. 23. §. 1. h. l. 6. d. V. O.* in his enim animus & voluntas deest *l. 2. §. 1. ff. de procurator.*

XIV.

Lege, prohibentur donare. I. Pupilli, qui per se donare non possunt, quia nec firmum iudicium, nec rerum suarum alienationem habent. *l. 11. ff. de acquir. rer. dom.* Horum nomine tutores solennia munera parentibus & cognatis mittent *l. 12. §. 3. ff. de Administ. & peric. tutor.* neq; hoc in casu decreti interpositione opus est, quia quod ita à tutore bonâ fide erogatur, potius iustitia quàm aliena autoritate firmatur, *l. 3. C. de Administ. tut.*

XV.

II. Minores 25. annis, quia huiusmodi ætatum fragile & infirmum iudicium est, *l. 1. in pr. de Minor.* merito igitur donare prohibentur, nam facillè alias totam suam substantiam perderent & in præsentem paupertatem se conjicerent. Donare n nihil aliud est quàm perdere & dilapulare *l. 7. in pr. ff. de Donat. ubi Dd.* Quod de illis minoribus accipiendum qui curatores habent, Cæteri

Cæteri minores qui curatores non habent, donare res suas mobiles possunt; quæ tamen donatio non statim firma & irrevocabilis, sed tum demum subsistit, si majores 25. facti eam ratam habuerint *l. 1. 2. C. si major. fact. rat. hab* quia intra 25. annum, causa cognita in integrum restitutionis auxilio donationem revocare possunt. *l. 3. C. d. Restit. in integr.* Non tamen idem dicendum de rebus immobilibus, harum siquidem alienatio est illis interdicta, nec absq; decreti interpositione valet. *l. 2. & ibid. Duaren. C. si advers. donat. Menoch. consil. 29. n. 14.* Ideoq; nec post 25. annum rati habitatione confirmari nec restitutione in integrum rescindi potest. Est enim ipso jure nulla *d. l. 2.* Et non entis nullæ qualitates.

XVI.

III. Prodigi: non solum quod ipsis bonorum administratio adempta. *l. 6. ff. de V. obl.* Sed & quod mente videntur carere. Luxuria enim amentia est, *l. 1. ff. d. curat. Furios. l. 12. d. Tutor. & curat. dat. ab his,* & propterea æquiparantur furioso *in l. 40. d. R. J.* Dicitur Prodigus qui neq; finem neq; tempus expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit. *Ulpian. in l. 1. ff. de curat. furios.* At quis pro prodigo habendus, utrum qui moribus, an verò à magistratu prodigus declaratus? Non est levis quæstio. Arridet nobis illorum sententia, qui distinguunt inter eum, qui notoriè prodigus, & eum qui non notoriè prodigus est. Priori casu lex ipsi administrationem bonorum adimit. *l. 1. ff. de curat. furios. l. 18. ff. qui test. fac. poss. l. 5. ff. de ac. heredit. §. furios. Inst. de curato.* atq; id demum lege fieri dicitur, quod sola lege fit nullo hominis facto interveniente, ut clarè arguit *lex 5. in pr. ff. de leg. Tutela.* Posteriori casu opus est decreto & sententia magistratus. *l. 10. pr. l. pen.*

pr. l. penul. §. 1. ff. de curat. furios. Julius Paulus lib. 3, sen-
tent. Tit. 4. §. morib. Donell. ad l. 6. de verb. oblig. quam di-
stinctionem agnoscit quoq; vis Wirtembergium. part. 2. Tit.
von unnützen Haushalteren.

XVII.

IV. Filiifamilias peculium paganum donare non
possunt, etsi liberam ejus peculij administrationem ha-
buerint, quia res peculiare administrare non perdere
debent. l. 7. §. 4. ff. d. Donat. l. 28. §. fin. ff. d. pact. l. 1. §. 1.
ff. qua res pignori, l. 14. C. d. donat. l. 19. de pignorat. act.
Quare ne quidem pacisci possunt de non petendo, hoc
est patris actionem remittere, nisi tantundem aut plus
ex eo ad patrem pervenire possit, l. 28. §. fin. ff. d. pact.

XVIII.

In libera peculii administratione liberis concessa,
plus concessum non est, quam quod generaliter & com-
muniter conceditur, ut ad utilitatem peculij admini-
strent: quæ autem in specie tantum solent concedi, &
communi & vulgari administratione liberâ concessa,
non intelliguntur concessa nisi in specie, sive in ipsa
concessione sint nominatim expressa, l. 1. §. 1. ff. qua res
pignor. Regulariter itaq; filiifam, donare non possunt,
etsi liberam peculii administrationem habent, nisi hoc
specialiter ipsis sit permissum, per textum in l. 7. §. 2, 3.
& 4. ff. d. Donat.

XIX.

Excipiuntur tamen nonnulli casus, quibus filiasfa-
milias donare rectè potest. Ut 1. Si pater filiofamil. li-
beram peculij administrationem, cum expressa donandi
facultate concesserit. l. 7. in pr. ff. d. donat. 2. Si justa
& legitima ratione inductus donet, puta matri vel aliis
conjunctis personis d. l. 7. §. 1. ubi Gloss. & Dd. 3. Si pa-
tre con-

B

tre con-

tre consentiente donet *l. 2. in pr. l. 9. §. 2. ff. b. t. l. 14. C. eod.*
hoc casu ipse Pater donare videtur *d. l. 9. §. 2. b. Tit.*
4. Si filius familias in dignitate constitutus fuerit, ut puta
si Senatoris, Ducis, comitis, aut alterius dignitatis sit
filius *d. l. 7. §. 3. b. t.* 5. Si habuerit peculium castrense
vel quasi castrense *l. 7. §. ult. l. 3. C. d. cast. pecul.*

XX,

De peculio adventitio dubitatur, an filius hoc in alium per donationem transferre possit? Inspeciendum, an parens in ijs habeat usum fructum vel non. Priori casu filius res sine patris consensu alienare & per consequens donare non potest. *l. ult. §. 5. versu Filius. C. d. Bon. qua lib.* Posteriori casu filius, si perfectæ ætatis fuerit, liberam administrandi & disponendi potestatem habet. *Nov. 117. c. 6.* XXI.

VI. Prohibentur donare Servi *l. 28 §. si filius autem & servus ff. d. pact. l. 1. §. 1. ff. qua res pignori vel hypot.* Servi enim in jure civili ipsi sunt in dominio & nihil proprii habent: peculium etiam ipsis à Dominis suis concessum, ipsorum Dominorum est. Quicquid enim acquirunt, dominis acquirunt. *§. 2. Inst. d. his qui sunt sui vel alien. jur. §. 3. Inst. per quas person. cuiq. acquir.*

XXII.

VI. Religiosi & Monachi, in quibus nova quædam servitutis species introducta est, donare sine superioris, seu prioris consensu non possunt. Nam nihil habere, possidere, dare vel accipere, sine superioris licentia debent, *cap. Non dicatis 12. quest. 1.*

XXIII.

VII. Tutores, curatores, administratores civitatū donare non possunt, cum enim hæc administratio, non verò per-

verò perditio vel dilapidatio rerum commissa sit, sequitur, quod donare nō possint. *l. 6. C. de adim. l. 2. §. In reipubl. ff. de admin. rer. ad civ. pert. tut. vel cur.* donare enim nihil aliud est quàm perdere *l. 7. ff. d. Donat.* Excipitur casus hic, quando tutor parentibus & cognatis pupilli solennia munera mittit *l. 12. §. 3. ff. d. Administ. tut.* neq; decreti interpositione est opus, quia quod ita datur, potius iustitia quàm aliena autoritate firmatur, *l. 3. C. de Admin. tut.* II. Excipiunt Dd. Tutorem principis, quem liberalitatem exercere permittunt. Nam ut principis est exercere liberalitatem. *Dd. ad l. 22. C. d. pact.* Ita quoq; tutor illius idem potest, quia principem repræsenter, modò liberalitatis fines non excedat, sed ira donet, ut principis pater olim donare solitus erat. *Obrecht. in Oeconomi. d. sump. Donat.*

XXIV.

VIII. Idem dicendum de Procuratoribus, etsi omnium bonorum administratio ipsis sit concessa & demandata, donare verò non possunt, nisi specialiter hoc eis sit mandatum, & tunc, non tam ipsi, quàm domini donare videntur, quorum jussu & voluntate donant. *l. 9. §. penult. ff. d. Donat.* Quod enim quis per alium facit, ipse id facere videtur *l. 56. ff. d. solut. l. 180. d. R. J. cap. qui per alium. d. R. J. in 6.* In hoc tamen donandi mandato, ut dominus nomen donatarij exprimat, Dd. nonnulli requirunt.

XXV.

IX. Prohibentur donare, Rei capitalis criminis, quod in eo, qui crimen perduellionis, vel læsæ majestatis commisit, certum est, hic enim statim post contractum crimen res suas alienandi potestatem amittit, cum

heredem teneat, & si nondum postulatus vita decesserit, l. 31. §. fin. ff. h. t. 2. Idem obtinet ex eadem ratione, in crimine repetundarum l. 20. ff. de accusat. & inscript. l. 2. ff. d. L. Jul. repet. l. 2. C. ead. Quæ enim crimina adversus hæredem reo extincto exercentur, ex iis post contractum crimen, jus alienandi est ademptum l. 20. C. d. L. Jul. Rep. l. 31. §. 4. ff. d. Donat. De alijs criminibus dubitare quis potest propter triplicem lectionem. l. 15. ff. d. Donat. Florentina habet: Post contractum crimen donationes factæ Non valent ex constitutione Divorum Severi & Antonini, nisi condemnatio secuta sit. *Norica edit*, pro Nisi legit: Si condemnatio secuta sit. *Vulgata edit*: habet post contractum crimen donationes factæ valent ex constitutione Divorum, Severi & Antonini, nisi condemnatio secuta sit. Ex diversis hisce lectionibus diversi sensus oriuntur. Nam secundum Florentinam donationes post crimen contractum non valent quidem per se, sed facta condemnatione confirmantur. Secundum Haloandrinam non valent si condemnatio sequatur. Secundum Vulgarem donationes quidem per se valent, sed condemnatione secuta revocantur. *Dn. Gotofr. ad h. l.* probat lectionem vulgatam, quam sequitur *Clariss. D. D. Meyer. in coll. Argent. h. t. th. 5. n. 6.* *Dnus Obrechtus in Oeconom. d. Donat. Simpl. Thes. 84. & sequent.* hoc modo, tres casus distinguit, quod is qui donat, vel ante donationem delinquendi & defraudandi propositum habeat: vel jam ante factam donationem deliquerunt, & defraudandi propositum habent, vel deniq; de neutro horum sunt suspecti. Priori casu quando donans
proposi-

propositum malevolum delinquendi & defraudandi
habet, donatio ab eo facta ipso jure non valet: quia,
quod in fraudem legis fit, ipso jure corrumpitur, *l. 14. §. 5. ff. Qui & à quibus manumissis. l. 16. versu diversitatis ff. d. jure patron.* At qui animo delinquendi donat, is in
fraudem legis donat, quia ideò, ut publicationem futu-
ram eludat, donat. Neq; altero casu, donatio jure sub-
sistit, cum donator ante jam factam donationem deli-
quit: & est reus criminis capitalis, si donatio suspicio-
ne pœnæ & in fraudem legis facta est. *d. l. 14. §. 5. Qui & à quibus manum l. 45. in pr. de Jure Fisci.* Et consequenter
in utraq; specie actione revocatoria non est opus, quia
quod non est, id tanquam sit, revocari non potest. Sem-
per tamen necesse est fraudem perspicuis conjecturis &
dilucidis probationibus ostendi, *l. si maritus ff. d. jure fi-
sci Obr. d. l.* Undè si in his speciebus donatio tum demum
corrumpitur, si in fraudem legis facta est, sequitur à contra-
rio, tam ante quam post crimen capitale contractam
donationem valere, si nihil in fraudem legis commissum
doceri potest, *l. 7. d. Mortis causa donat.*

XXVI.

X. Uxores res dotales seu dotem donare non
possunt, cum ea sit in dominio mariti, imò nec consen-
tiente marito *l. 21. C. h. t. t. t. ff. & C. de Fund. dotat. l. 17.
23. C. d. jure dot.* At proprias res quas paraphernales
vocant, jure civili donare possunt *l. 3. 6. & ibi Dd. C. d.
Revocand. donat. l. ult. C. d. donat. qua sub modo.*

XXVII.

Hactenus de personis quæ donare possunt vel non,
videamus nunc de iis, quibus donari potest vel non, si-
cut enim non est omnibus donare permissum, ita quoq; re.
nec omnibus donari leges concedunt.

Quibus po-
test dona-
re.

X XVIII.

Donari autem potest omnibus, quibus donare non est prohibitum *argto. l. mutus 43. §. 1. ff. d. procurat. non. modò benè merentibus amicis vel necessariis, sed & meretricibus & concubinis l. 5. ff. d. Donat. l. donationes in concubinam 31. ff. h. t. l. item legato 49. §. parvi. ff. de legat. 3. l. 29. C. d. Donat. l. 4. §. 3. ff. d. condict. ob turp. caus. l. 24. ff. d. Donat. inter vir. & uxor.* Licet autem hæ donationes, quæ in meretrices conferuntur, turpem contineant causam, & sic juri parum convenire videantur, tamen cum in iis perpendendum quoq; sit, utrum dantis an verò accipientis, an utriq; turpitude versetur. Ideò Jcti & legumlatores, de jure civili eam admiserunt; quatenus scilicet vel dantis tantum, vel utriusq; turpitude versetur: non verò accipientis tantum: jam verò in donatione meretrici facta, non ipsius meretricis, sed dantis turpitude versatur: licet enim turpiter faciat eò, quod sit meretrix, turpiter tamen non facit, quod rē donatā acceptat. *l. 4. §. 3. ff. d. cond. ob turp. causã Zas. ad d. l. n. 48.* Cōsiderat enim j^o civile in jure cōtractuū, ipsū jus actionū sive cōtractuū honestatē nō personarū, *l. 31. §. 1. ff. deposit.* Verum si ob turpem causam donet, ejusmodi donationes tanquam probrosæ consuetudinis mercedes, & per se irritamenta malorum, ab omni justitia, & virtute alienissimæ Christianis omnimodò tanquam damnabiles, vitandæ, præsertim cum juri divino maxime sint contrariæ, quo omnis fornicatio, & consequenter etiam via, qua via est, quæ ad hanc deducit, sub pænâ æternæ damnationis prohibita & damnata est. *1. ad Corinth. 6. v. 9. & 8. ad Galat. 5. v. 19. 21 Ephes. 5. v. 5. Heb. 13. v. 4. Syrac. 19. v. 2.* idq; absq; distinctione ad omnes pertinet.

XXIX.

An verò Clericus concubinæ suæ (ita enim amicas suas, turpitudinem honesto nomine velantes) donare quid potest, quæritur? Et malam hanc esse donationem putamus, tum quia concubinatus illorum nihil aliud est, quam vel scortatio vel adulterium, jam verò utriq; tam scortationi quàm adulterio gravissima pœna à Deo est constituta, locis præcedenti the. allegatis. Tum & quia jure civili & Clerici concubinas habere prohibentur: Non enim decet hos, qui probabilem seculo disciplinam agunt, decolorari consortio fororiæ appellationis *l. 19, C. d. Episc. & Cler. Bart. in l. 5. ff. h. t.*

XXX.

Secundò donari etiam rectè potest absentibus, five per interpositam personam rem ei quis mittat, five eam qui jam ante, vel ex commodato vel deposito, vel alia quadã ex causa penes se habet, sibi habere jubeat, *l. 1. 4. & 10. ff. h. t. l. 6. & 13. C. cod. §. 42. & seq. inst. d. Res. Divis.* modò tamen sciat rem sibi donatam esse, vel missam rectè accipiat, aliàs non valebit donatio *l. 10. ff. d. Donat.* Et licet sciant rem sibi donari, si tamen mortuus sit, cui perferenda res data fuit, antequam ad eum perferret, non fit ea res illius, cui tradi debuit. *l. 2. §. si quis donaturus ff. h. t.* Notandum hïc est & illud, quod si notarius stipulatus sit à donatore absentis donatarij nomine, & ante rati habitationem perfici donationem. *Quid, Papa decis. 49. & constat in l. conceditur 18. ff. d. Adopt.*

XXXI.

Sed an nondum natis donari possit inter Dd. controversitur. Nonnulli affirmant propter *l. 3. C. d. Donat. quæ sub mod. & l. 24. d. pact. dotalib.* Sed malè, quia in donatione

tionem requiritur extremum in quo consistat l. 42. de
Mort. causa. donat. nec in d. l. 3. dicitur, quod donatio di-
recta in nondum natum facta, sed pactio in donatione
apposita sit, ut is in cuius persona donatio consistebat,
postea nascituro restituat. Obrecht, d. Donat. Th. 159.
Clariss. Mejer in colleg. Argent. sub tit. d. Donat. Th. 7.
Hottom. consil. 13. 10. & lib. 4. obs. 18.

XXXII.

Autonit aucto III. Infantia proximo, (id est iis qui septem annis
non intercedit maiores sunt, consistunt tamen adhuc intra annum
donatus appri decimum & dimidium) tutore auctore, etsi enim ple-
re, reus domi num non habeant consensum, habent tamen aliquem,
quos possunt qui a tutore suppleri potest l. 3. C. de acq. ~~Ret.~~ *Ret.* poss. *et*
et magis facti

XXXIII.

l. 1. § 1. de acq. Potest & alijs donari ut filia emancipata l. 28. l. 31.
et rem suam §. 1. 2. b. t. l. 2. C. eod. l. 25. C. d. Donat. int. Virum & uxo.
doni auctori Filio emancipato, vel etiam in paterna potestate constitu-
uherem facti to, quod tamen magis paternae voluntatis destinatio,
in. Inst. 4. An. quam vera donatio est l. 11. l. 17. l. 22. l. 26. C. b. t. d. l. 31.
et uxor §. 2. ff. eod. Nepti l. 1. C. d. Donat. quae sub modo Privigno
l. 7. C. d. t. Liberto l. 18. l. 35. b. l. 8. C. d. Revoc. don.
Pijs actibus & Religiosis Personis l. 34. in fin. pr. & §. 1.
l. 35. §. 5. C. b. t. l. 15. l. 19. C. d. S. S. Eccle.

XXXIV.

Quibus non potest donari. Donari non potest I. Nolenti l. 19. §. 2. ff. b. t. aut
invito l. 69. ubi Dn. Gothofr. d. R. F. donatio enim requi-
rit extremum in quo consistat. l. 42. ff. d. Mort. causa do-
nat. & nisi donatarius rem datam acceptet, nulla est do-
natio. *suprath. 6.*

XXXV.

II. Filijs familias, a patre in cuius sunt potestate, do-
nari

nari non potest, nisi vel morte patris, vel emancipatione confirmata fuerit, *Gail. 2. obs. 33. in pr. l. 2. §. 1. ff. pro hered. Bocerus d. Donat. c. 3. n. 3. l. 31. §. 2. h. t. l. 11. C. eod. l. 25. C. d. Donat. int. vir. & uxor.* Idq; propter vinculum patriæ potestatis cum enim donare nemo sibi quid possit, nec quod alicujus est, id ei dari oportet §. *sic itaq; discretis Inst. de Action.* Filius familias autem quicquid acquirit, non sibi sed patri acquirat. §. 2. *inst. d. his. qui sunt sui vel alieni jur.* Hodie verò id tantum parentibus acquirunt quod ex rebus parentum eis obvenit §. 1. *inst. per quas person. nob. acquir.* *Hillig. in Donell. enucl. lib. 9. c. 5. lit. G. & H.* XXXVI.

Eleganter hîc quæritur. An sumptus quos fecit pater pro filio, Item expensæ pro summa Doctoratus dignitate consequenda, vim veræ & irrevocabilis donationis habeant, ita ut tempore divisionis, nec computari nec conferri debeant? Affirmativa sententia placet arguo *l. 4. C. Famil. Ercisc. l. 1. §. 15. ff. de collat. bonor. l. 50. ff. Famil. Ercisc.*

XXXVII.

Ardua est & hæc quæstio. Num is qui latroni, ne ipsum occideret pecuniam juramento, vi, metuq; extorto, promisit salva conscientia controvenire possit? Affirmat hoc clarissim. Dn. D. Mejer. Præceptor noster venerandus, in *Disputat. de Donationib. thes. 41. sequentibus rationibus.* 1. quod hoc juramentum sit contra bonos mores: quia si taceret, latronem & factum ejus improbum occultaret, ulteriusq; latrocinandi occasionem ei præberet, quod longe majus peccatum esset, quam si contra vi & metu præstitum juramentum procederet. 2. Quod ejus observatio in dispendium salutis æternæ vergat, dum particeps fit omnium eorum homicidio-

c. 9. 25 X^d
jurand.
c. 22. 23. 9
7. ca 22

C

micidio-

micidiorum quæ latro postmodum committit, quæ
commissurus non erat, si ad magistratum delatus ab eo-
demq; comprehensus esset, 3. Quod cadat in deteriorem
exitum. 4. Quod exemplo sit perniciosum. 5. Quod præ-
stetur super pacto & conventionem, principaliter contra
publicam utilitatem cedente, ut volunt communiter Dd.
ad Auth. sacramenta puerum. C. si adversus vindic. L. ail.
2. ob. 42. n. 4. vid. Hæmmer in fr. d. Pauli c. 3 §. 14.

X XXVIII.

III. Prohibita quoq; est regulariter donatio inter
conjuges constante matrimonio, tam civili quam cano-
nico jure *l. 1. 2. 3. & passim. tit. ff. & C. & X. d. Donat. int.*
vir. & uxor. Cujus prohibitionis triplicem Jcti adfe-
runt rationem. I. Ne conjugalis amor & concordia pre-
cio conciliari videatur *l. 3. ff. de Donat. int. vir. & uxor.*
Cum indignum sit matrimonia esse venealia, & marita-
lem concordiam, non aliter atq; adulteria precio conc-
iliari; quæ tamen solo conjugali affectu proficisci & o-
mni lucro præferri debet *l. 3. ff. d. t. l. 1. d. inst. & substit.*
2. Ne conjuges donationibus non temperantes sed
profusa erga se liberalitate utentes, mutuo amore invi-
cem spoliarentur *l. 1. ff. d. Donat. int. vir. & uxor.* 3. Ne
matrimonia dissolverentur: Nam cum non daretis,
qui posset alter cum eo vivere nollet, & ita matrimo-
nium facile dissolveretur *l. 2. ff. d. t.*

X XXIX.

Donari tamen potest conjugi certis quibusdam ca-
sibus puta. I. Si donans non efficiatur pauperior nec
accipiens locupletior *l. 25. ff. d. Donat. int. vir. & uxor.*
2. Si donator perseveraverit in eadem voluntate usq;
ad extremæ vitæ Spiritum *l. 1. 3. & 10. C. d. Donat. int.*
vir. & uxor. hoc casu morte donantis ita confirmatur,
ut nec

ut nec per heredes donatoris donatio revocari possit. *l. 32. §. 2. ff. d. Donat. int. vir. & uxor.* 3. Imperator Reginæ suæ piissimæ, & hæc vicissim illi rectæ donare potest, & hæc donationes, quam primum factæ sunt plenissimum robur accipiunt, minimeq; opitulatione quadam extrinsecus egent. Nam ut Imperialis fortuna omnes supereminet alias, ita oportet quoq; principales liberalitates culmen habere præcipuum *l. 26. C. d. Donat. int. vir. & uxor. l. 7. C. d. Bon. qua lib. l. ult. versu cum enim, nulla C. de quadr. præscript.* 4. Si uxor marito aliquid donet, ut ex eo dignitatem adipiscatur *l. 40. cum duab. seqq. ff. de donat. int. vir. & uxo.* 5. Si reciproca fit conjugum donatio *l. 7. §. si vir & uxor l. fin. ff. d. t. facit. l. si pater puella 12. C. d. inoffic. Testament. l. Aquilius 27. ff. d. Donat.*

X L.

Sed an hæc donatio de jure alias invalida juramento conjugis donantis confirmari possit controversū est Et licet quidam id de jure civili rectè negent, affirmativa tamen communiter recepta est per cap. contingat *X. de jure Jurand. Auth. Sacrament. C. si adversus vendit. Gail. 2. observ. 40. Minsing. cent. 2. obs. 33. Clar. 4. sentent. §. Donatio quaest. 9. Wesemb. in parat. ff. d. Donat. n. 5. versic. addunt & illud Dd. Gabriel Roman. lib. 3. commun. conclus. tit. d. Donat. conclus. 3. Vasq. lib. 1. controvers. illustr. c. 38. n. 4.* quos sequi licet, quamvis pœna digni videantur, qui ea, quæ legibus prohibita sunt, jure jurando licita facere conantur: neq; enim jusjurandum, perrumpendarum legum vinculum esse debet.

X L I.

Deniq; Miles quoq; Focariæ suæ donare prohibetur *l. 2. C. d. Donat. int. vir. & uxor.* quod interpretes quoq; ad clericos porrigunt *Bartol. in l. Miles 41. §. Mul-*

lier. n. 4. ff. d. Test. milit. & in l. Mulierem 14. ff. Quibus
ut indig. & in l. actionis ff. de donat. & tantum de per-
sonis quæ donare & quibus donari potest attulisse
sufficiat.

XLII.

Quæ res
possunt
donari?

Sequitur ut videamus, quæ res donari possunt vel
non, in quo materia vel objectum donationis consistit.
Possunt autem donari res mobiles, immobiles, se moventes
l. 34. §. 1. h. l. 15. C. d. S. S. Eccles. Corporales & incorpora-
les l. 18. §. 2. l. 31. §. 2. l. 35. §. 2. h. t. l. 1. C. eod. l. 12. in pr. ff.
de public. in rem act. l. 6. C. de Revoc. donat. l. 22. l. 33. §. 1.
l. 36. p. h. t. l. 34. §. 4. eod. l. 31. l. 35. in pr. d. t. l. 28. l. 29. §. 2.
h. l. 11. C. eod. &c. quæ tamen in commercio hominum
sunt, & ejus cui donantur fieri possunt.

XLIII.

Quæ ergò in commercio hominum non sunt, & nul-
lius esse dicuntur in § Nullius Instit. d. R. Divis l. 1. in pr.
ff. eod. 16. §. 2. d. l. 21. C. d. S. S. Eccles. ut sunt res sacræ, san-
ctæ, religiosæ, hæ quemadmodum in stipulationem de-
duci non possunt, §. 2. inst. de inutil. stipul: ita etiam do-
nari nequeunt, ut nec II. illud quod in rerum natura non
est, nec esse potest, veluti domus combusta vel stichus
qui mortuus est, donari non potest §. 1. inst. de inutilib.
stipulat. l. 1. §. si id ff. d. verbor. obl. III. Neq; donari potest res
cujus commercium donatarius non habet, licet sit in
donatoris commercio l. 34. d. verbor. oblig. Mancipium
ergo Christianum Judæo donari non potest, quippe
cum hic illius commercium non habeat l. unic. C. Ne
Christian. mancip. Sed quid si Judæus Judæum manci-
pium Christiano donaret? Hanc donationem valere pu-
to, quia & aliàs Judæi Christianis subditi sunt. IV. Neq;
provinciarum præfidibus, prædium provinciale donari
potest

potest l. 33. ff. d. Reb. credit. l. 3. C. si cert. petatur. Ita quoq; in Gallia Regiis constitutionibus inhibitum est, ne iudices à quocunq; subdito vel litigante dona accipiant, eujuscunq; ordinis sint, seu inferioris aut curiæ superioris *Tholosan. in syntag. jur. univers. lib. 28. c. 12.*

XLIV.

V. Bona viventis cujus se heredem quis fore putat l. 29. §. ult. ff. d. Donat. etsi quis ejusmodi bona donaverit, posteaq; jure prætorio succedere voluerit. actiones hereditariæ in totum sunt denegandæ, & hereditas tanquam indigno auferenda est, quia contra jus gentium, & bonos mores festinavit, l. 29. §. 2. l. 30. h. l. 2. in fin. ff. d. his quibus ut indign. l. fin. C. d. pact. & improbus habetur, qui de vivi hereditate est sollicitus l. 2. §. 2. ff. d. vulg. & pupill. substitut. l. 27. §. 4. in fin. ad Sc. Trebell. l. 1. §. 21. in fin. d. collat. quia videtur viventi funus ducere *Hotoman. ad l. fin. C. de pact.*

XLV.

Usufructuarius usumfructum sibi concessum alteri donare potest §. 1. inst. de usu & habit. l. 8. §. 2. ff. d. peric. & com. rei vend. l. 38. ff. d. usufr. *Hun. lib. 2. tractat. 2. quest. 32.*
An verò Vasallus feudum totum, vel partem ejus aliquam donare possit quæritur? Neutrum concedendum videtur p. T. 9. §. 1. T. 39. in pr. T. 52. in fin. pr. T. 55. in pr. & T. 73. lib. 2. Feud. l. ult. C. d. reb. alien. non alienad. *Rosenth. c. 9. membro 1. conclus. 6. Duaren. c. 12. n. 6. Coras in l. fin. in fin. ff. d. d. LL. Gail. 1. obser. 117. n. 1. & 5. & idem de Pace publ. c. 17. n. 16. in fin. Zas in epist. Feud. part. 9. n. 3.* Ratio prohibitionis est 1. contemptus dominorum ut habetur. 2. Feud. T. 24. §. 2. *versu.* Denique in fin. ibi enim non domini vel proprietarij sed usufructuarii sunt. Deinde quia hæc Vasallorum alienatio & denu-

denudatio ad Imperij & Reipublicæ detrimentum spectat, utpote per quam domini Feudorum carerent iis, quibus in expeditionibus cæsaris, alijsq; necessitatibus instructi esse maximè deberent Tit. 52, in pr. 2. Feud.

XLVI.

Est & hæc ingens controversia an Emphyteuta, jus suum emphyteuticum alij donare possit. Affirmativam probamus per §. 3. *inst. de locat. & cond.* Nec obstat. *l. 3. C. de jur. Emphyteu.* Ubi alienare & in alium jus suum Emphyteuticum Emphyteuta transferre prohibetur: quia verba alienare quod in questione positum est, cum *ad gemin. 18* in responsione explicatur per verbum vendere: non in generali significatione, sed in speciali accipiendum videtur, quod & suadet verbum pretij, & æstimationis, quod crebrum est in ea lege. Qua de re etiam videri potest *Hilliger in Not. ad Donell. lib. 9. c. 14. lit. G. & H.* Neque in contrarium facit. *Novell. 7. c. 1. versu alienationis*, agit enim de Emphyteusi ecclesiastica, in qua cum jus peculiare constituat Justinianus & ibi peculiariter alienationis verbum extendat, eo innuit, in *d. l. 3.* id ita non accipi posse: Emphyteusis igitur ecclesiastica non poterit donari, civilis autem donari potest.

XLVII.

Deniq; & hic illud quæritur, an quis omnia sua bona donare possit? quod affirmandum nobis videtur si ratio de inofficiosis donationibus non reclamat *l. 35 §. 4. C. h. l. 8. C. de Revoc. Donat. l. 5. C. de inoffic. donat. l. 17. §. 1. Quæ in fraudem cred.* Et hæc omnium bonorum donatio non solum præsentia, verum & futura bona, imo jura & actiones in se continet *l. 30. §. 1. ff. ad SC. Trebell. l. 1. §. 1. Quorum bonorum l. 20. §. 7. de hered. pet. l. 1. l. 4.*

l. 1. l. 4. l. 5. C. de bon. vacant. lib. 10. T. 10. l. fin. C. Quæ res pign. obl. non poss. Clariss. Mey. in Colleg. Argent. de Donat. th. 9.

XLVIII.

Quomodo donatio perficiatur ex ejus forma cognoscitur. Est autē Forma donationis alia accidentalis, alia ^{Quomodo perficitur donatio?} substantialis. Accidentalisis est, quod in scriptis donatio fiat, scriptura enim necessario non requiritur, quia licet sine scripto quid donatum sit, nihilominus donatio perfecta est *l. 10. l. 25. l. 29. l. 31. C. h. t.* Excipitur, tamen donatio quæ 500. solidis major est, hæc enim insinuari apud acta debet, de qua infra. Item (ad accidentalem formam) pertinet, quod ad certum vel incertum tempus fiat, veluti si ita donatur ut post quinquennium aut mortem ejus qui accepit res ad donatorem redeat *l. 18. §. 1. l. 25. h. l. 2. C. de donat. quæ sub modo.* Item ex certo tempore si quid donatum est alij post tempus restituitur, priori donatio fit ad certum tempus, posteriori ex certo tempore *l. 3. C. d. t.* aut si donatur quid, ut post mortem donatarij ad alium veniat, primò donatur ad incertum tempus, secundò ex incerto tempore. *Cujac. in C. d. t. item sub cōditione l. 2. §. 5. 7. ff. h. t. l. 22. 23. C. eod. l. 4. 5. C. de Donat. quæ sub modò non solum expressa, verum etiam tacita secundum lectionem vulgatam l. 32. h. ibi. quamdiu volueris* quasi præsumeret epistolam mittens conditionem mortis suæ: Hanc legem *32. de donat. commendat. Anton. Fab. l. 2. conject. 19.* Et pro illis verbis *quamdiu volueris*, restituit, *quamdiu voluerim.*

XLIX.

Quæritur hic an donationes quibus adjectæ sunt leges certæ atq; conditiones, potius simplices an vero relatæ vel ob causam sint dicendæ? Prius tanquam
verius

verius ex cōmuni Dd. opinione probamus, quia utcūq;
ejusmodi leges & conditiones donationi adjectæ fue-
rint, tamen adhuc intra tempus aliquod siue illud certū
siue incertum sit, mera liberalitas exercetur & nihil inte-
rea ex re donata donatarius emolumentum capit. Deinde
conditio adjecta non statim relatam vel ob causam do-
nationem facit, sed eam tantum suspendit, quia non
prius locum habet, quam conditio adjecta sit imple-
ta *l. 2. §. 5. b. l. 48. §. 1. vers. sed si extiterit ff. d. vulg. &
pupill. substit.* Et ita respectu donatoris mera liberalitas
gratuita, & simplex donatio est.

L.

Essentialis forma simplicis donationis in quinque
potissimum consistit, I. ut simpliciter i. e. libere nulloq;
jure cogente fiat; hōc enim donationis proprium est,
ut nullam externam causam respiciat sed in sola libera-
litate consistat. II. ut donandi animo fiat, licet enim
donationis verbum adpositum fuerit, non tamen statim
donationem infert *l. 15. §. 4. ff. locat. conduct. l. 25. C. de
Donat.* nec in dubio donatio præsumitur, eò quod u-
nusquisq; acquirere potius quam perdere censetur. Sunt
tamen casus quidam relati, à Mascardo, *de probat. vol. 1.
conclus. 554.* quibus donatio præsumitur & à Dn. Bocer. *in
tr. d. Donat. c. 1. n. 19. & seqq.*

L I.

Si ergo aliquem donandi habuisse animum constet,
tum utiq; valebit donatio, etiāsi alio forte quam dona-
tionis verbo usus fuerit, *l. 46. ff. locati conduct. l. 66. ff. de Ju-
re dot. l. 3. C. de contrah. empt.* quod ita intelligimus dum-
modo rectum adhibeatur iudicium, alias enim non do-
natio sed dilapidatio & profusio bonorum exercetur,

§2. III. Re-

LIII.

III. Requiritur, ut animus donandi declaretur: à donatore, vel verbis expressis, subsecuta mox traditione, si in præsentì donat: vel literis & traditione, si absenti, vel deniq; verbis tantum, vel literis tantum, per pollicitationem scilicet vel stipulationem, vel nudum pactum sine traditione: cuius rei exempla extant *in l. 19. in pr. l. 22. 24. ff. d. Donat. l. 15. C. de SS, Eccles. l. 35. §. 5. versic. sin. vero C. de Donat.*

LIV.

IV. Requiritur, ut Donatarius rem datam sibi grato animo acceptet, quia nulla donatio esse potest, nisi is, cui donata fuit, donationem ratam & gratam habuerit. *Gothofr. in l. 8. §. 3. ff. d. Bon. libert. & ad l. 15. C. d. SS. Eccles. l. 10. l. 26. ff. d. Donat. Cujac. 12. Obs. 28. & ad l. 62. ff. de verb. obl. Anton. Fab. 3. conject. cap. 12.* Hinc est quod Ulpianus *in l. 9. §. 2. ff. h. t.* dicit, nolenti vel repudianti liberalitatem non acquiri. Et hoc est quod Græci dicunt, donationem *μὴν μετὰ ἡμῶν* factam non valere, *Gothof. ad d. l. 15.* Animus autem accipientis semper probari videtur, si vel donatarius se rem donatam grato hilariq; animo accipere declaraverit, aut servum suum eam accipere permiserit, non tamen tacita colligetur acceptio, si, cui res permittitur, tacuerit. Singularem tamen favore, Imperator Zeno constituit, ut donatio sive promissio valeat, si quis sacras ædes ad cultum divinum celebrandum, vel hospites aut ægrotos, vel pauperes recipiendos, curandos, alendos, se ædificaturum ultrò promiserit, & adversus eum, etiam si opus nondum inchoaverit, tamen expollicitatione hujusmodi, quamvis nuda, ratione pietatis non solum obligationem, sed & actionem

D

Episco-

Episcopis & Oeconomis eo nomine dedit. l. 15. C.
d. SS. Eccles.

L V.

Deniq; requiritur ut donatio si excefferit quantita-
tem quingentorum solidorum apud acta publica insi-
nuetur: ita ut absq; hac insinuatione donatio quoq;
invalida sit §. 2. *inst. d. donat. l. 34. 36. §. ult. C. hoc tit. l. 19. C. de SS. Eccles.* Olim jure antiquo donatio ducen-
torum aureorum major insinuanda erat §. 2. 7. & cum
retro inst. de donat. Cujac. 6. obs. 18. Deinde summa ad tre-
centos l. 34. in pr. C. h. tandem ad 500. solidos exten-
sa est d. §. 2. *inst. l. 36. §. ult. C. h. t.*

LVI.

Quingentos autem solidos excedere dicitur, donatio
quæ excedit, summam quingentorum aureorum, ita e-
nim solidum, cujus Justinianus in d. §. 2. l. 36. §. fin. men-
tionem fecit accipi probatur per §. fin. *inst. de pæn. tem. litig. junctal. 12. & 25 d. in jus vocand.* Ubi qui in d. §. 2. & l. 36. dicuntur solidi in l. 12. & 25, appellantur aurei.
Verum provarietate regionum, aurei quoq; variant, &
hodie multi levioris ponderis cudi soleant, quam tem-
pore Justiniani, quo septuaginta duo libram auri con-
ficiebant l. 5. C. de susceptorib. lib. 10. in quæstionem ve-
nit, an quod de 500. solidis sive aureis hic est disposi-
tum, ad nostrates etiam aureos pertineat, ita ut donatio
usq; ad 500. aureos mo neta nostræ currentis sine insi-
nuatione subsistat. Ita post Alciatum vult Mynsing. ad
§. 2. *inst. de Donat. n. 7.* & eum secutus Schneidvv. *ibid. n. 23.*
ubi ita pronunciatum se vidisse ait, Ratio illorum est
quod aureus quo hodie utimur, ex generali quadam
consuetudine aureo Romano sit surrogatus, quin & stan-
te adhuc

te adhuc Imperio Romano aurei circa pondus pro variatione temporis variati. Sed magis est ut aureos nostrates ad valorem aureorum legalium reducamus, cum monetæ currenti adherendum non sit, quando illa per leges taxata est, ut hic est. Hinc igitur fiet ut quod de solido hic dicitur, id de aureo fere Hungarico intelligamus, quo sensu solidus accipi videtur in *c. fin. X. de Rer. permut.* Adeoq; nostris moribus donatio ad 500. aureos Hungaricos usq; sine insinuatione subsistet; quam computationem in iudicijs, si consuetudo loci non sit, in contrarium omninò attendendum esse refert Gail. 2. obs. 39. n. 4. Cui consent. Wesemb. in parat. ff. d. Donat. n. 6. Clarissimus præceptor noster Lindemannus in *Disp. Justinianæ 2. T. 7. n. 11.* Plura videri hac de re poss. apud Dn. Bocer. in tr. d. Donat. c. 3. n. 60. & seqq. Wehener. observ. pract. verbo *Goltgülden.*

LVII.

Est autem Insinuatio factæ donationis summam quingentorum aureorum excedentis coram iudice competente publicatio, ut in acta relata plenam vim habeat *l. 25. in fin. l. 27. in pr. l. 30. 31. 32. & passim C. h. t. Bart. in l. 30. eod.*

LVIII.

Fieri autem insinuatio hæc debet secundum modum & observationem legis *25. C. h. t.* ut scilicet I. nomen donatoris & donatarii, jus item & res donata in scriptura exprimat, idq; secundum *Bart. in l. 23. ff. h. t.* duplici de causa I. ne clandestinis ac domesticis fraudibus id quod verè gestum est, aboleatur, & contra quidvis pro negotii oportunitate confingatur, *l. 27. C. h. t.* cum, quæ in iudicijs fiunt, omni dolo carere præsumuntur.

tur. 2. ne quis patrimonium suum facile effundere possit inconsulto iudice per viam indiscretæ donationis, cum donare nihil aliud sit quàm perdere *l. 7. in pr. ff. h. t. Schneide. inst. h. §. 2. n. 8.* II. ut donatio facta coram iudice publicetur, idq; in præsentia donatoris & donatarii *l. 30. C. h. t.* quam tamen præsentiam non ad eò necessariam volunt, si de utriusque consensu & voluntate certò constat. *Hottom. consil. 72. n. 27. cum seq.* Est autem hæc publicatio ita necessaria, ut omitti nequeat, etiam si inter necessarias conjunctasq; personas donatio facta sit, *l. 27. C. h. t.* vel etiam Ecclesiæ, civitati vel ad pias causas & religiosas personas *l. 35. §. ult. ver. tantòq; qua magis C. h. l. 15. 19. C. de SS. Eccles.* Licet enim magnus sit favor piarum causarum & Ecclesiarum, tamen cum hæc solemnitas propter publicam quoq; utilitatem introducta sit, ne scilicet fraudes committantur & homines decipiantur, neve in pijs causis, ex quibusdam machinationibus non solum indevotus, sed etiam impius donator intelligatur, pœnasq; non solum legitimas, sed etiam cœlestes expectet *l. 27. 35. §. 5. C. h. t.* id eò & hoc casu eam necessariam esse putamus. Ecclesia enim, quæ cultrix & auctrix justitiæ est, non patitur aliquid contra justiciam fieri, vel in se vel in alium *ut dicitur. in lib. 1. feud. tit. 13.* III. Fieri debet insinuatio apud iudicem competentem, qualis erat in regia civitate Magister, in provinciis præfides, in cæteris civitatibus defensores, & si alibi insinuatio fieret, 20. librarum auri multa aliaq; gravissima indignatione ferendi erant. *l. 30. 32. C. h.* Hæc insinuatio si uno in loco rectè facta fuerit, effectum suum etiam ad bona sita extra territorium extendit, quia donatio in loco insinuationis sumit essen-

essentiale principium & formale per text. in l. 30. ibi. U-
bicunq; positarum & l. 32. C. d. Donat. arg. l. 1. C. de con-
trah. empt. Gail. 2. Obs. 123. n. 5. & ibid. Dd.

LIX.

An autem secundum communem Dd. opinionem,
hodie donationis insinuatio apud quemcunq; judicem
etiam non competentem fieri possit, non sine ratione,
ambigitur. Nos jure civili inspecto hanc insinuationem
non nisi coram judice competente, & quidem eò, cui
vel donator vel res donata subjecta sit, fieri debere ar-
bitramur per d. l. 32. C. h. t. Guid. Pap. quest. 325. quem
sequitur Menoch. conf. 84. n. 50. & 51. qui hanc senten-
tiam veriore & magis receptam esse dicit. Suarez, in
thesaur. recept. sent. verb. insinuatio n. 107. communem
opinionem esse dicit, coram quocunq; judice insinua-
tionem celebrari posse, quod parum cum jure civili
congruit.

LX.

Quæritur hic, an donatio excedens summam 500.
aureorum, nec insinuata in totum vitietur, an verò illud
tantum, quod superfluum est, & legitimum modum ex-
cedit, rescindatur? Posterius verius est. per l. 21. §. 1. ff. h.
t. l. 34. in pr. & §. 1. l. 36. §. 3. C. h. t. l. 25. vers. nam am-
plioris C. d. donat. inter vir. & uxor. novel. 162. cap. 1. §. 1.
Gail. 2. observ. 5. n. 8. Non enim utile per inutile vitia-
ri debet, maximè cum à se invicem separari possunt,
d. Nov. 162. c. 1. §. 1. Gail. d. loc. n. 9. c. utile de R. J. in 6.

LXI.

Non tamen omnis donatio 500. solidos excedens
insinuatione opus habet, sed sunt casus, in quibus, quan-
tacunq; etiam sit donationis summa, insinuatio mini-

Quæ do-
nationes
nō egent
insinua-
tione?

mè requiratur. Tales sunt I. si una eademq; persona plures diverso tempore fecit donationes, æquè omnes conjunctim lege definitam excedunt quantitatem. Tot enim sunt donationes, quot vicibus sunt celebratæ *l. 34. §. 3. 4. b.* II. si donatio Imperialis sit, puta si ab Imperatore in Augustam vel alias privatas personas collata sit, & viceversa ab Augusta vel privatis alijs in Imperatorem *l. 34. in fin. juncta Athen.* Item & à privatis, *C. h. t. l. 26. C. de donat. inter virum & uxor. l. 7. C. de bon. qualib. l. ult. vers. cum n. multa C. de quadrienni præscript. l. 19. vers. in verò C. de SS. Eccl. Nov. 7. c. 2. §. 1. Nov. 52. c. 2.* Hæ enim donationes ex se virtutem habent & quod Imperatore teste fit, æquè procedit atq; si actis publicis insinuatum esset, *l. 19. C. de Test.* quod etiam hodiè rectè statuitur in Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, qui in suis regionibus & territorijs Imperatori comparantur, ut notat *Wesemb. conf. 27. n. 28. vol. 1.* quia horum proprium est & præcipuus nobilitatis actus, ut liberalitatem & munificentiam exerceant, dicente *Jasone in l. pactum curatoris. C. de pactis. Abbas cap. 1. d. donat.* Unde etiam non illepidè Titus Vespasianus totum illum diem periisse ajebat, in quo pro consueta liberalitate & munificentia, neminem dono aliquo exhilarasset,

LXII.

III. Casus est, si gloriosissimi militum magistri fortissimis militibus res mobiles vel se moventes, tam ex sua substantia, quam ex spolijs hostium donant, sive in ipsa bellorum occupatione sive alijs in locis degant, *l. 36. §. 1. C. h.* IV. Si pro redemptione captivorum facta sit donatio *l. 36. C. h.* V. Deniq; non requiritur insinuatio, si illi, cujus domus incendio aut ruina corrupta est, quid ad

quid ad reficiendas ædes donatum fuerit, cuiuscunq̄ue
etiam quantitatis fit *d. l. 36. §. 2. C. h.*

LXIII.

Talis est etiam donatio, quæ ex necessitate legis fit,
puta donatio propter nuptias *Nov. 119. §. 1. Coler. decis. 10.*
De donatione remuneratoria, an insinuationem requi-
rat, ex dubiis est quæstio, Sunt qui illam sine insinuatio-
ne subsistere putant, ut videre est apud *Minsing. 4. obser.*
75. Gail. 2. obser. 33. At verius est remuneratorias et-
etiam donationes insinuationem desiderare, ut rectè
docet *Pinell. ad l. 1. C. de bon. matern. par. 3. n. 60. & ad l. 2.*
C. de rescind. vend. p. 3. c. 2. n. 17. quem sequitur *Fachin.*
3. controuv. 82. & probatur tum per generalitatem legis
34. C. h. t. tum quia ratio cur insinuatio necessaria, (quam
notat Imperator in *in l. 27. C. h.*) æquè in remuneratio-
ne atq̄; alia donatione obtinet.

LXIV.

De donatione juramento confirmata, an hæc absq̄;
insinuatione subsistat, similiter, controvertunt Inter-
pretes. Sunt qui putant juramentum interpositum vi-
ribus carere, nec insinuationis defectum per illud sup-
pleri, quos citat & refutat *Gail. 2. obser. 39. Fachin. 3.*
controvers. 83. quod tamen de jure nostro civili congru-
enter asseritur. At cum de jure Canonico omne jura-
mentum servandum esse dicatur, quod sine jactura ani-
mæ servari potest, eo quoq̄; jure donatio juratoria sine
insinuatione subsistit, pro ut communis est, & in praxi
recepta opinio notante *Gail. d. loco.*

LXV.

Sequitur jam ut de actione qua donatarius rem sibi ^{Actio.}
donatam perse qui potest, videamus; Quod si donatio
in sti-

in stipulationem deducta sit, & certi quid in stipulationem est deductum, conditione certi agendum erit. *l. 9. C. h. pr. Inst. d. verbor. obligat. l. 74. 75. in pr. de verb. oblig. l. 6. ff. de reb. cred. Nov. 62. c. 2. §. 1. in fin.* Si non stipulatione facta sit donatio, aut nihil certi stipulatione comprehensum, competet ex stipulatu actio & iudicium incertum, id est, præscriptis verbis actio *l. 28. h. l. 9. l. 22. C. h. pr. Inst. d. V. O.* Si nudo consensu vel pacto facta est donatio, competet actio condictitia ex lege *Nov. 162. c. 2. in fin.* Si per donationem usucapiendi conditio acquisita est, competit publiciana in rem actio *l. 7. §. 3. l. 12. de Public. in rem acti.* Sin pollicitatione donatio facta est, & quidem in Rempub. Prætoris vel Præsidis extraordinaria cognitio est *l. 9. ff. de pollicit.* Si verò ad pias causas vel privato pollicitatione facta sit donatio, similiter condictio ex lege competet. Cum enim ex huiusmodi pollicitatione actio in donatorem datur, *l. 15. C. de SS. Eccles.* nec adjectum actionis genus, condictioni ex lege locus erit *l. 41. in pr. ff. d. O. A. junctal. unica ff. d. condict. ex lege.* Si emptio instrumenta traduntur, quia ipsarum rerum instrumentis comprehensarum donatio & traditio facta intelligitur, competit rei vindicatio *l. 1. C. h. 77. de R. V. l. 44. §. 5. d. legat. 1.*

LXVI.

Donator tamen huiusmodi actione aliqua conventus, eatenus tantum, quatenus facere potest, tenetur *§. 38. inst. d. act. l. 12. l. 33. ff. h. t. l. 19. §. fin. de Re Judicat. l. 28. de R. J.* Facere autem donator potest, quod ære alieno deducto facere potest, ne ægestate prematur. *d. l. 19 §. 1. l. 49. in fin. de re judic. l. 173. pr. de R. J.* idq; colligitur ex personis rebus seu patrimonio tempore &c. *Faber. §. 31. inst. de*

inst. de act. Nec tenetur de eviſtione rei donatæ *l. 18. §. ult. Paul. §. ſentent. tit. 11. §. 5. l. 2. C. de Eviſt.* ſi non ſtipulando de eviſtione cavit *d. l. 2.* aut dolo rem alienam, quam evinci poſſe ſciebat, donavit *d. l. 18. §. ult. in ſin. l. 22. in ſin. ff. de V. O.* Neq; præſtat donator fructus & uſuras ob moram ſolutionis, ſi pecunia donationis cauſa promiſſa ſit aliud aliquid die ſtatuto non traditur *l. 22. b*

LXVII.

Quibus modis & cauſis donatio ſimplex conſtituitur, in præcedentibus expoſuimus. Conſtituta certis quandoq; modis revocari ſolet. Ex modis illis Juſtinianus in *§. 2. Inſt. de donat.* recenſet. I. donatarii ingratitude, cui concordat *lex ſin. C. de revoc. donat. & Auth. quod mater eod.* Valdè enim iniquum eſt, ab illis nos pati injuriam, in quos liberalitatis noſtræ beneficia contulimus. *d. l. ſin.* Cauſas autem ingratitude, ob quas donatio revocari poſſit, in ſpecie recenſet Imperator. in *d. l. de revoc. donat.* Veluti 1. ſi donatarius injurias atroces in donatorem effundat, 2. ſi manus impias eidem inferat, 3. ſi vitæ ejus infidietur, 4. ſi grandem jacturæ molem, illius ſubſtantiæ & bonis ingerat, 5. ſi quasdã convèrſiones donationi impoſitas, quas ſpouondit, implere recuſet *d. l. ult. d. tit. Nov. 22. c. 35. Donell. lib. 14. comm. c. 27.* Simili modo 3. ſunt cauſæ, ob quas mater ad ſecundas nuptias tranſiens, (jure veteri hoc in caſu non licebat. *l. 7. C. de Revoc. donat.*) à filiis ingratuſ donationem revocare poſſit. *Auth. quod mater C. de tit.* Prima eſt, ſi filii matris vitæ infidiantur. 2. ſi manus impias ei inferant. 3. ſi totius ſubſtantiæ moliti ſint jacturam.

LXVIII.

Movetur hîc quæſtio, an ex his tantùm ingratitude

E

nis cau-

nis causis, quæ in *l. ult. C. de revoc. donat.* recensentur, donationes rescindantur, an verò præter has aliæ adhuc vel graviores, vel saltem similes dentur, quibus revocari donatio possit. Exempli causa, si donatarius donatorem egestate oppressum inopem atq; egenum reliquerit, alereq; recuset. Quod negandum putamus cum *Donell. 14. comm. 27. G. iphan. ad d. l. fin. C. de Revoc. donat.*

LXX.

Ut autem donatio propter ingratitudinem revocari possit, tria potissimum requiruntur: I. ut donator ingratitudinis causam, quam præterdit, perspicuis & dilucidis argumentis probet. II. ut in iudicium eam deducat. III. ut fiat cum causæ cognitione præsentem scil. donatario eoq; satis idoneè audito, item ut sequatur sententia declaratoria *d. l. ult. C. de Revoc. donat. & ibid. Dd.*

LXIX.

Ad revocandam ex ejusmodi aliqua ingratitudinis
Actio 2. causa donationem, competit donatori actio ingrati, quæ non in rem, sed in personam actio est. *l. 7. vers. actionem verò C. de revoc. donat.* Hanc actionem donator, tantum adversus ingratum donatarium, non etiam in donatoris heredes, vel ipse donator, in donatarii heredem movere potest *l. 1. vers. hoc tamen C. de revoc. Donat. l. ult. versic. hoc tamen c. fin. X. de Donat. Dissentit Donell. lib. 14. comment. 29. & seqq.* Successor tamen donatoris Regis vel Principis, donationem de regno vel principatu factam revocare potest, si in successorem ingratus existerit donatarius *Ludovic. d. Molina lib. 4. de Hispanorum primogen. c. 11. n. 47.* Ita etiam Anno 1608. à Juridica facultate collegii Tubingensis iudicatum fuisse refert *Bocerus sub Tit. de Donat. Cl. 2. Disp. 19.*

LXXI.

Secunda revocandæ donationis causa est, si donator post donationem susceperit liberos *l. 8. C. de Revoc. donat.* Cujus ratio in amore & affectu parentum erga liberos consistit, quos si sibi præfuturos prævidissent, alijs utiq; non donassent, nec extraneos propriis liberis præposuissent, ut ita donationi tacita hæc insit conditio *Nisi liberos suscepero*, argumento *l. 6. §. 1. C. de Inst. & Subst. l. 3. C. d. Fidei commissi l. 102. ff. de Condit. & Demonstr. Tiraquell. & communiter Dd. ad d. l. 8. C. de Revoc. donat.*

LXXII.

Cæterum cum dicta *Si unquam. 8. C. de Revoc. donat.* concepta sit in specie de patrono, qui cum destitueretur liberis in libertum suum donum contulit, an ad quemvis donatorem sit extendenda extra illum casum? Affirmativam communiter Dd. approbant teste *Claro lib. 4. sentent. §. donatio quest. 22. n. 1. 2.* cui & nos calculum addimus cum *Cujacio 20. observ. 5. Mynsing. 5. observ. 63. & 6. observ. 69. Fachin. 3. controv. 85.* quia eadem ratio, quæ suadet, ut patronus à liberto rem donatam ob nativitatem liberorum revocare possit, in quovis etiam extraneo obtinet, cum verisimile sit, & naturæ instinctus doceat, donaturum eum non fuisse, si de liberis cogitasset, argto *l. cum arg. 102. ff. de Condit. & demonstr. l. 30. C. de Fidei commissi.*

LXXIII.

Tertia revocandæ donationis causa est, si donatio inofficiosa, i. e. immensa, immodica, immoderata facta, est, de qua est titulus *C. de inoffic. donat.* Inofficiosa autem dicitur donatio, per quam liberi vel parentes dona-

toris legitima sua portione defraudantur. Revocatur autē ex hac causa, non omne quod datum fuit, sed tantum pro ratione legitimæ ut tradunt *Gail. 2. observ. 38. n. 15. Cujac. 5. observ. 14. Donell. 19. comm. 11. Bocer. d. Donat. c. 3. n. 27. fin. Fachin. 6. controuv. 84.*

LXXIV.

Impropria donatio. Et hætenus de donatione simplici sive propria, restat jam donatio relata sive impropria, de qua in præfenti paucis agemus. Est autem Donatio relata, quæ non ex sola munificentia, sed sub causa aliqua donatur *l. 27. l. 34. §. ff. de donat.* Ea præcipuè duplex est, aut enim Nuptiarum causa fit, aut mortis causa. Illius tres sũt species, Spõsalitia largitas, Donatio propter nuptias & dotis constitutio. Est autem donatio mortis causa, quæ propter mortis fit suspensionem, cum quis ita donat, ut si quid humanitas ei contingat, habeat is, qui accipit: sin autem supervivat is qui donavit, recipiat. Et in summa mortis causa donatio est, quum magis se quis velit habere quàm eum, cui donat, magisq; eum, cui donat quàm heredem suum. *§. 1. inst. de Donat. l. 1. pr. & §. 1. l. 35. §. 2. ff. de Donat. mortis causa.*

LXXV.

Species hujus donationis. Species hujus donationis tres sunt: *I.* cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola mortalitatis cogitatione donat. *II.* cum quis imminente periculo motus ita donat ut statim fiat accipientis. *III.* si quis periculo motus non sic donat, ut statim fiat accipientis, sed tum demum cum mors fuerit infecuta *l. 2. l. 31. §. 2. h. t. l. 35. §. 4. h. l. ult. C. eod.* Mortis itaq; causa donamus, non tantum propter infirmam valetudinem, verum etiam ob propinquæ mortis periculũ, veluti hostis, aut præ-

aut prædonum, aut hominis potentis crudelitatem, aut odium, aut navigationem incundam *l. 3. d. Donat. mort. caus.* aut quia per loca infidiosa eundum *l. 4.* aut quia ætate quis fessus *l. 5. b.* Hæc enim omnia instans periculum ostendunt *l. 6. b.* Et non tantum suæ mortis, sed & alienæ causa donari potest, veluti si filio aut fratre moribundo, pater aut frater donet *l. 8. fin. pr. l. 11. l. 18. ff. d. tit. de Donat. mort. causa l. 3. C. eod.*

LXXVI.

Principaliter itaq; in hac donatione requiritur mortis contemplatio, sive metus mortis extra periculum, aut in periculo, & sufficit ipse mortis metus, ut non amplius inquirendum sit, justus sit metus an non *l. penult. ff. de Donat. mort. causa.* Hinc quæritur, an in dubio mortis causa donatio ab ægrotante facta, an verò simplex præsumatur? Posterius ex *l. 42. ff. d. tit. cum Menoch. lib. 3. præsumpt. 36.* asserimus, Aliud enim est, morientem donare, aliud mortis causa donare.

LXXVII.

Possunt autem mortis causa donare, qui testamentum facere possunt, sive testamentum fecerint, sive non fecerint *l. 25. prin. b. de mort. causa donat.* Mortis enim causa donationes per omnia ferè legatis connumerantur *l. 9. 15. fin. 17. fin. 25. pri. 37. pr. de mortis causa donat. l. ult. C. eod. §. 1. Inst. d. Donat. Novel. 87. Cujac. 10. obser. 28.*

LXXVIII.

Illi ergo qui à testamenti factione arcentur, ut impubes, servus, furiosus, mente captus, prodigus & c. mortis causa donare nequeunt, *l. 15. l. 25. ff. de mortis causa Donat. Schneidew. in comm. inst. de Donat. 8.*

LXXIX.

Filius verò familias, licet regulariter testamentum, facere non possit, ne patre quidem consentiente *l. 6. pr. l. 12. ff. qui testament. fac. poss.* tamen mortis causa patre consentiente donare potest *l. 25. §. 1. de mortis causa Donat. l. 7. §. 4 ff. de Donat.*

LXXX.

Quæritur hic, an filius familias bona adventitia, quæ pleno jure ad ipsum pertinent, absq; consensu patris donare possit? Quæ quæstio ex alia dependet, utrum scil. filius familias de illis testari possit? quod exercitii gratia *cum Clariss. D. Mejero colleg. Argent. lib. 28. tit. 1. thes. 9. n. 3. Vaudo 1. quæst. 1. Hunnio lib. 2. resolut. tract. 5. quæst. 10. affirmamus. Dissentiunt Dd. communiter.*

LXXXI.

Quibus potest donari mortis causa vel non? Mortis causa donari potest omnibus iis, qui & legata accipere possunt, *l. 6. l. 15. fin. l. 35. l. 37. ff. de mort. causa vel non? nari mortis causa Donat.* Quibus autem legari possit vel non, repetendum *ex tit. de leg.* Mortis itaq; causa donari nequit, Apostatis, *l. 3. C. de Apost. Hæreticis l. Manichæos c. d. Hæretic. liberis eorum, qui crimine læsæ Majestatis sunt damnati l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest.* Mulieri intra annum luctus ad secundas nuptias transeunti *l. 1. pr. C. de secund. nupt.* Natis ex nefariis & incestis complexibus, *Novell. 89. c. 15.* Servo proprio sine libertate *l. 34. §. 9. l. 102. de leg. 1. l. 88. §. 13. l. 11. pr. de leg. 2. l. 30. §. 15. de Fidei commiss. liber.* Conjugi ex illegitimo matrimonio tali *l. 4. l. 6. C. de incest. nupt. l. 27. de usur. & fruct. l. 2. §. 1. l. 13. 14. de his qui ut indignis.* Deportatis *l. 1. C. de Hered. instit.* Damnatis in metallum *l. in metallum ff. de his quæ pro non script. habentur.* Collegio illicito *l. colleg. C. de hered. inst.*

red. inst. Notandum hic, quod capacitas vel incapaci-
tas donatarii inspicitur tempore mortis, non tempore
donationis *l. 22. ff. de Mort. caus. donat. Glöf. n. 9. in §.*
legari verbo verbo Testamenti Inst. d. legat.

LXXXII.

Possunt autem omnes res mortis causa donari, quæ Que res
donantur
mortis
causa?
inter vivos donari possunt mobiles & immobiles, cor-
porales & incorporales, modò tales sunt, quæ in homi-
num commercio esse possint *argto tit. Inst. d. l. Fas. Canni.*
tollenda in fin.

LXXXIII.

An autem bona omnia post mortem tanquam he-
reditatem mortis causa quis relinquere possit, quæritur,
quod *Vandus lib. 1. quæst. variar. 40.* affirmat. Contra-
rium convenienter *Dd.* statuunt, cum quibus & nos sen-
timus. Cum enim nulla sit viventis hereditas, nulla
quoq; in donationem venire potest, quia non Entis
nulla sunt Accidentia. Et qui hereditatem mortis cau-
sa donat, is hoc agit, ut alter sibi mortuo heres fiat. Nun-
quam autem idem potest esse heres & donatarius, cui
mortis causa donatum est, quia semper ab herede detra-
hitur, quod alteri mortis causa donatur. Nam qui
mortis causa donat, mavult se habere, quàm donata-
rium, & donatarium potius quàm heredem suum *l. 35. §.*
1. ff. de Donat. mortis causa §. 1. fin. Inst. de Donat.

LXXXIV.

Ut autem mortis causa donatio rectè constituitur
& subsistat, necesse est, ut coram 5. testibus peragatur.
l. final. C. de mortis causa Donat. Neq; indiget ut actis in-
finuetur, nec expectat publicarum personarum præsen-
tiam *d. l.*

LXXXV.

An autem in omni donatione, quæ mortis causa five majoris five minoris summæ quinque testes desiderentur, quæri solet. Sunt qui putant illam duntaxat donationem, quæ quingentos solidos excedit, præsentiam 5. testium desiderare, quasi scilicet in locum remissæ insinuationis aliàs desiderari solitæ hujusmodi solemnitas, & adhibitio testium substituta sit, moti per d. l. finalem. C. d. tit. Verùm ex constitutione Theodosii quæ habetur in l. fin. C. de Codicill. in omni ultima voluntate 5. saltem testes adhiheri debeant, & verò mortis causa donatio ultimis voluntatibus adnumeretur l. final. C. de mortis causa Donat. Utiq; in illis etiam 5. testium præsentiam requiri consequens est, nulla adhibita distinctione, cujus quantitatis sit summa: Prout nec in alijs ultimis voluntatibus ex quantitate relictorum testes adhibentur, sed indistinctè requiruntur. Accedit, quod, quemadmodum Justinianus in d. l. final. C. de mort. causa Donat. indistinctè omnem mortis causa donationem ab insinuationis necessitate exemerit, secus ac fiebat in l. 25. C. de donat. ita quoq; indefinitè 5. testium præsentiam requirit: ut ita lege non distinguente, nec nobis distinguere liceat.

LXXXVI.

Actio. Facta hac donatione donatarius statim post mortem donatoris rei donatæ dominus fit, etiam si res donata non tradatur, ideoq; eam actione in rem petere potest l. 29. ff. de mort. causa Donat. ubi G. iphan. n. 12. Quæ actio etiam filiofamilias acquiri potest, si nimirum ipsi mortis causa donatum sit, mortis tamen tempore donatoris scilicet, paterfamilias reperiatur, ut & per contrarium si patri-

si patrifamilias mortis causa donatum sit, & mortis e-
jus tempore filiusfamilias inveniatur, patri erit tunc e-
molumentum quæsitum *l. 11. §. 34. 35. ff. de Donat. inter
vir. & uxor. Vigel. method. Jur. controuv lib. 14. c. 18.* Com-
petit autem hæc actio non nisi post mortem donatoris,
quia donatio mortis causa perfecta non censetur, ante-
quam mors sequatur, *l. 32. 33. ff. de mortis causa Donat.*
quod si tamen immodicè mortis causa donatum sit,
tunc exemplo legatorum *L. Falcidiæ locus erit l. 77. §.
1. ff. de Legat. & Fideicommiss. 2.*

LXXXVII.

Ex his modis donatio mortis causa constituitur: *Quomodo
revocatur
mortis
causa do-
natio?*
quibus modis evanescat & solvatur, reliquum est, ut
paucis videamus. Revocatur autem I. donatoris pœ-
nitentia *l. 30. ff. de Donat. mortis causa. §. 1. Inst. de Donat.
l. 13. §. 1. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* Etiam dum pendet
adhuc an convalescere possit donator *l. 16. ff. de mort.
causa Donat.* in quo multum differt hæc donatio ab illa
simplici quæ nuda pœnitentia revocari non potest. *§. 2.
Inst. d. Donat.* Hæc autem revocatio fieri potest vel
expressè veluti si dicat, quod donavi donatum nolo,
vel etiam tacitè, ut si rem donatam alienandi animo ali-
enet, quod voluntatem donatoris tacitè mutatam indi-
cat *l. 22 ff. de Donat. int. vir. & uxor.* II. si donator pœ-
na capitis afficitur *l. 7. ff. de Donat. mort. caus.* III. si frau-
dantur debitores, etsi consilium fraudandi non habuit
debitor. *l. 17. ff. de tit. IV.* si convaluit donator *l. 19. 29.
35. §. 3. l. 37. §. 1. ff. d. tit. V.* Si conditio adjecta non ex-
titerit *l. 1. & toto tit. C. de mort. causa donat. VI.* Si dona-
tarius ante donatorem decesserit, *§. 1. Inst. de Donat. l. 29.
in fine l. ff. de Donat. mort. causa. l. 19. pr. de reb. cred. l. 32.
§. 14.*

F

§. 14.

§. 14. ff. de Donat. int. vir. & uxor. l. 6. l. 8. de reb. dub. Non autem revocatur donatio, si, qui invicem sibi donarunt, pariter decesserunt. Neuter enim alteri supervixit l. 26. ff. de mortis causa donat. Nec immodica donatio in totum revocatur, sed Falcidia detrahitur l. 27 in fin. l. 42. in fin. ff. de mort. causa donat. l. 2. C. eod. l. 5. 18. C. ad L. Falc. l. 77. §. 2. de Legat. 2.

LXXXVIII.

Repetit autem donator ex supradictis causis vel rem ipsam datam, vel si alienata sit, rei precium, prout donator ipse elegerit. Si enim precium recipere nolit, rem ipsam restituere compelletur l. 37. ff. de donat. mort. causa. Nec revocatur res donata sola, sed etiam fructus, ut in fundo indebite soluto restitui debent l. 38. §. 2. 3. ff. de usur. & fruct. Verbo siquidem Restitui continentur omnis causa, res & fructus. Et tantum hac vice de donatione simplici & mortis causa attulisse sufficiat.

LXXXIX.

Qua actione?

Revocatur autem hæc donatio si res tradita fuerit, vel rei vindicatione, si ita donatum sit, ut si mors contigisset, tunc rem donatarius haberet, l. 29. ff. de mort. causa Donat. vel conditione causa data, causa non secuta, vel utili rei vindicatione, si ita donatum sit, ut donatarius jam nunc quidem haberet, redderet autem si donator convaluisset, vel de prælio vel perægrè rediisset, l. 30. ff. d. t. l. 1. C. de Donat. quæ sub modo l. 12. ff. de condit. caus. dat. l. 14. 18. §. 1. l. 35. §. ergo ff. de mort. causa Donat. l. unica §. taceat in ea retentio C. de Rei uxoria actione. Cujacius in tractat. ad African. 2.

XC.

Donationis quæ nuptiarum causa fit, tres numerantur species, Sponsalitia largitas, quæ est donatio relata, qua ex

qua ex parte sponſi in ſponſam, vel contra ſponſæ in ſponſum contemplatione futuri matrimonii munera quædam conferuntur, quæ nuptiis non ſecutis evaneſcit *l. cum veteri C. de Donat. ante nupt. Sichard. ad d. tit. n. 7. & 17.* Donatio propter nuptias, eſt donatio relata, qua à ſponſo ſeu viro ſponſæ vel uxori hypotheca in ſecuritatem dotis recuperandæ conſtituitur, ἀντιφύσειν Græcis, Germanis *Gegenvermachung/ Leibzucht oder Leibgeding/ dicta l. 13. l. 20. C. de Donat. ante nupt. Novel. 61. c. 1. Hartman. Piſtor. lib. 1. quaſt. juris quaſt. 4. & 14.* Dotis conſtitutio vel Dos eſt donatio relata, qua in maritum muliere aliove ejus nomine pecunia ad ſuſtinenda onera matrimonii confertur, quæ vel eſt profectitia vel adventitia *l. 5. §. 1. ff. de Jur. Dot.* De quibus cum peculiare in pandect. & Cod. extent. tituli, hac vice non agemus, ſed ejus tractationem in aliud tempus differemus.

Humaniſſimo, pia eruditione, eruditâ pietate, humanitate ſingulari, arte Muſica exercitatiſſimo, ſuaviſſimo, Sympatriote ſuo
cariffimo,

DN. HINRICO OLPHENIO,

valedictoriam diſputationem proponenti.

MAſte vir ingenio, rarâ virtute decuſq;
 Muſarum verſu mihi non indictus abibis;
 Ipſe etenim ſummi juſtiſſima cura Jehovæ.
 Quo te fata vocant pergas. Divina voluntas
 Eſt ea. Quo nos fata trahunt retrahuntq; ſequamur.
 Ergo age, ſis felix, adſpirent numina cœptis,
 Dulcis amice, tuis. Te, te DEUS, ante benignus
 In te, deſeruiſſe nequit. Certosq; vocabit
 Qui tua virtutem procurent præmia, quanta
 Dignum laude manent. Tu dignus laude duorum

Nomine


Nomine : Se & tuis Musas, tibi grata suavis
Musica, sed studiis totum te trade, dabisq;
Totum, non dubito, disces. Sic vita paratur
Sic quoq;, honos, nomenq; tuum laudesq; manebunt.

εις τὸ τῆς Φιλίας μνημόσυνον μόνιμον ἐχιδιάξῃ

M. HERMANNVS EVERINGIUS,
S. S. Theol. Studiosus.

Non dubium quin te nascentem lumine Musæ
Spectarint placido, nutrierintq; sibi,
OLPHENI, & ductum sua per fragrantia tesqua.
Ornarint variis dotibus ingenij:
Nam quali studio, quâ prosperitate secutus
Sis, condasq; tuo pectore, juris opes,
Nempe ut iustitia sancta servire, tuusq;
Officijs multis possit adesse labor.
Jam dudum multis innotuit, atq; vel unum
Hoc specimen cunctis, indicio esse potest.
Utq; tibi hinc Divos magni devincis olympi,
Sic, quibus hic homines demerearis, habes.
Si fidibus canere incipias ita suavis es, omnis
Cynthius ut comitem te velit esse sibi.
Cum tentas numeros mulcere sonantibus aures,
Aut digitis pulsas organa sacra tuis:
Hac etiam arte places multis, quodq; ultima nunquam
Laus fuit, eximij principibusq; viris.
Qui quia te gaudent audire & noscere, tuq;
Ferre tui punctum muneris omne potes,
Latus sorte tua quo te cum laude vocarunt,
I pede felici, & premia multa feres.
Ac, mihi crede, viatica jam collecta juvabunt
Per multum vitam tempore quoq; tuam.

GOBELINUS SCHRAGE, Lippensis Westph.



ponfi in sponsam, vel contra sponsæ in-
templatione futuri matrimonii munera
eruntur, quæ nuptiis non secutis evane-
i C. de Donat. ante nupt. Sichard. ad d. tit. n.
atio propter nuptias, est donatio relata,
seu viro sponsæ vel uxori hypotheca in-
otis recuperandæ constituitur, ἀντιφέρων
anis Gegenvermachung/ Leibzucht oder Leibs
3, l. 20. C. de Donat. ante nupt. Novel. 61. c. 1.
or. lib. 1. quæst. juris quæst. 4. & 14. Dotis
el Dos est donatio relata, qua in maritum
ejus nomine pecunia ad sustinenda on-
confertur, quæ vel est profectitia vel ad-
. 1. ff. de Jur. Dot. De quibus cum peculiare
Cod. extent. tituli, hac vice non agemus,
ionem in aliud tempus differemus.

*a eruditione, eruditâ pietate, humanitate sin-
Musica exercitatisimo, suavissimo, Sympatriotæ suo
carissimo,*

NRICO OLPHENIO,

ledictoriam disputationem proponenti,

genio, rarâ virtute decusq;

versu mihi non indictus abibis;

ni justissima cura Jehovahæ.

ut pergas. Divina voluntas

ta trahunt retrahuntq; sequamur.

adspirent numina cæptis,

s. Te, te DEUS, ante benignus

equit. Certosq; vocabit

procurent præmia, quanta

anent. Tu dignus laude duorum

Nomine